

450

448

454

444

459

439

399

349

435

esse solito. Numquam vidi peregrinos ita jocundos, sicut in illa via. Ego sex vicibus viam illam transivi, semper cum singulari gaudio quodam. Porro inter nos et Bethlehem erat grande intervallum magnae et profundae vallis, non tamen ita, quod necesse esset nos in vallem descendere, sed oportebat vallem gyrate, et super marginem vallis incedere usque Bethlehem per jugum altitudinis, in cuius cornu in alto benedicta civitas sita est. In ipso vero vallis medio vidimus locum, ubi pastoribus nuntiata fuerat nativitas Salvatoris. Dicunt autem historiae trium regum, quod, quando tres Magi cum suis exercitibus hic transibant super vallem, ut intrarent Bethlehem, tunc pastores in valle existentes, videntes insolitam stellam et exercitum illorum sequentes, cum festinatione ascenderunt sursum, ut viderent, qui essent, vel quo tenderent. Et cum intellexissent, quod puerum recenter natum quaerarent, inceperunt eis recitare omnia, quae eis acciderant in nocte nativitatis pueri, et quo modo coelesti nuntio instructi didicerant, puerum illum esse Redemptorem mundi. Hoc audientes Magi amplius sunt gavisi pro eo, quod alias testes quam stellam reperissent, et aperientes bursas pretiosa munera propinaverunt illis pauperibus pastoribus pro bono nuntio. In hoc ergo consistentes loco mirabilia Dei laudavimus et congratulabamur regibus istis devotis. Et ita cum laetitia magna processimus.

**De peregrinorum vexationibus, quas passi sunt, antequam ingredierentur in Bethlehem, ab Arabibus vel Midianitis.**

Gaudium nullum in hoc mundo potest esse purum, etiam spirituale, et si videatur esse purum et inpermixtum ad horam, statim tamen redditur aliqua contrarietate obnubilatum. Et hoc in isto itinere experti sumus. De Jerusalem enim cum laetitia exivimus, et quanto Bethlehem propinquiores facti, tanto majori gaudio fuimus affecti, ut patuit per praefata. Deo autem disponente gaudium nostrum fuit satis terribiliter interruptum. Ut enim civitati benedictae appropinquavimus, ecce, exercitus Arabum contra nos venit, egrediens de Bethlehem, ex quorum aspectu consternati et perterriti fuerunt

28 \*

Ende

Anfang